



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Auditus è longinquo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

intelligentiæ signum habeatur. Eucherius hæreticos per Talpam in Divinis litteris accipit: utpote qui, licet aliquid cernere videantur, ipsum liquidæ veritatis lumen minime discernunt.

AUDITUS E LONGINQUO. CAP. XXIV.

Neque vero defunt, qui auditum ex quantumvis remoto loco per Talpam significari tradant, siquidius siquidem audiunt Talpæ obrutæ terra, tam denso atque surdo naturæ elemento. Quietiam exploratoribus mos est, caput in scrobem aliquam summittere, cum procul adventantes turmas, vel equitatum præsentire voluerint.

PRÆSAGIUM. CAP. XXV.

Cor Talpa-
rum ad
præfagium
utile.

Fuerunt & qui per hoc animal præfagium intelligi asseverarent. Explorantur siquidem Magi, ut Proclus tradit, cor Talpæ ad præfagium mirifice conferre. Nam, ut Porphyrius etiam attestatur, veteres illi divinatores simulac Talparum corda deglutissent, accipiebant subinde præsentem animam Deiritu vaticinantem: quod similitudinem quandam habet cum auditu illo promptissimo: siquidem quæ præfagimus minime cernentes, sentire videmur tamen. Fuisse vero Talpam in cultu apud imperitam rerum vetustatem didicimus ex Esaia, ubi dicit: *Simulacrum quæ fecerunt sibi, ut adoraret Talpas & Vespertiliones*. Alii interpretantur, idola sua abjecturum hominem in foramina Talparum & Vespertilionum.

DE MUSTELA. CAP. XXVI.

Idem vero vaticinium Mustelam huc accersit, quod persuasum sit quandam ejus disciplinæ vim in ea consistere.

ARUPSEX. CAP. XXVII.

Aruspices enim, vel eum qui quoquomodo futura prædicaret, per ejus imaginem significari dixerunt; eaque ob id ipsum Thrasybuli simulacro, quod in Olympia dicatum erat, adsculpa fuit, ut meminit Pausanias: illi enim præter dissectum Canem, qui jecinoribus patefactis adjacebat, Mustela quoque dexteriorum humerum obrepebat: singula divinationis hieroglyphica.



INFORTUNIUM. CAP. XXVIII.

Per eandem picam infortunium etiam intelligebant: animal inauspicatum infaustumque esse perhibetur iis, quorum habitet domos: insidiatur siquidem domesticis animalibus, præsertimque avibus tam altilibus, quam nidum sub tecto facientibus, easque ad internecionem usque persequitur. Occursus ejus plerisque religiosus habetur. Alii etiam in negotiis obeundis vel nomen ipsum horrescunt: utpote contrarium efficaciam.

VIRAGO. CAP. XXIX.

Mustela
nitida.

Horus Ægyptiacus auctor ait, per animal hoc mulierem virilia facinora pertentantem ostendi, propterea quod osseo sit genitali prædita. Impediatur autem verecundia, ne significatum hoc aptius explicem, quamq; inter sese mulieres turpitudinem, absque viris exercere nonnumquam deprehensa sint. Id potius ponam, singulare stranguriæ remedium esse genitale id, si rasum tritumque detur: ut Aristoteles de hist. animalium testatur. Nam & Strophilus scribit, mustelæ genitale esse solidum instar ossis, cujus ramenta, si in potu dentur, singulare remedium sit urinae stillicidio. Eam à Thebanis coli scribit Ælianus, quod Alcmenæ Herculi pariundo laboranti, opem tulerit hanc contemnendam.